

et Sanctum Sacramentum Eucharistia recipiant. (*) 3. Ut fidelis populus, qua par est reverentia, ad Sacramenta accedat, illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicare non omittant: Synod. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 7. et ead. Synod. Prov. *ibid.* (**) et præf. Syn. Valent. *ibidem* Cap. 2. et Hispal. Cap. 1. (*) 4. Ritus, quos in Sacramentorum administratione servandos Ecclesia jam recepit, non modo non omittant, neque contemnant, sed nec etiam in novos commutent: Synod. Trident. Sess. VII. Can. XIII. Qua de re I. Syn. Prov. Neap. Cap. 12. decernit: *In Sacramentorum administratione observetur R. Ecclesie ritus, et ad Cathedralium in ritibus se conforment inferiores Ecclesie.* (**) Unde Syn. Tolet. IV. Can. XXVI. alias XXV. jam olim decreverat, ut quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum Officiale a Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant, ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant. (*) Idem præscribit S. Carolus Borromæus in I. Synod. Provinc. P. II. Const. 2.

VII. Jam verò Ritus distinguuntur, et alii sunt Universales, alii dicuntur Particulares. Universales sunt, quos vel Scripturæ præscribit auctoritas, vel tota per Orbem frequentat Ecclesia. Particulares verò, qui non iidem ubique, sed in diversis Ecclesiis sunt diversi. De illis intelligendus est laudatus modo Trident. Canon: de postremis loquitur Aug. Epist. ad Casulanum his verbis: *Omnis pulchritudo filie Regis intrinsecus: illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur: unde ibi dicitur; in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Utrosque autem complectitur superius memoratum I. Synod. Provinc. Neap. Decretum.

VIII. Demum in ministrandis Sacramentis vitanda omnino est rei cujusque temporalis exactio. Vetus Ecclesia libenter accipiebat oblationes illas, quas ad Ecclesie Ministros, ac pauperes alendos fideles ipsi ultro exhibebant, nunquam verò in Sacramentorum administratione pretium, pecuniamve repetiit: *Neque enim pretio ulla res Dei constat:* (ait Tert. Apolog. 39.) *Etiam si quod arca genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert.* (**) Hinc Concil. Illiberit. Can. XLVIII. constituit, ut hi qui baptizantur... nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur; (*) et Later. II. sub Innoc. II. Cap. 2. in hunc modum decernit: *Et neque pro pastu, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post, a quoquam aliquid exigatur; vel ipse (qui Sacramenta suscipit) dare præsumat, quoniam Simoniacum est.* Idipsum præscribunt Syn. Lateran. IV. sub Innocent. III. Can. LXIII. et quæ postea secutæ sunt Synodi. Unius verò I. Syn. Prov. Neap. Cap. 12. verba hic ponam: *Quum gratis communicanda noverimus, quæ gratis accepimus, et Apostolus cupiat magis mori, quam ut gloriam hanc quis evacuet, omni vigilantia providendum, ut omnis avaritiæ, vel Simoniacæ labis suspicio de medio tollatur, prohibeaturque ne quid in Sacramentorum administratione directe, vel indirecte exigatur sub pœnis de jure statutis, aliisque arbitrio Ordinarii infligendis.* Eadem habet I. Synod. Prov. Mediol. Part. II. Constit. 1. (**) Alterius etiam Synod. Tarracon. an. 1580 sub Cl. Antonio Augustino Constitutionem subjiciamus: *Quum Sacramenta Ecclesie non solum sine Simonice labe, verum etiam sine suspicione, præbenda sint, caveant omnes, ne in eorum administratione quicquam exigant, aut etiam verbis, vel sig-*

nis, directe, vel indirecte petant. Videsis Collect. Jo. Teres Lib. V. Tit. II. Cap. 2. Consonant plura Hispaniarum Concilia, tum prisca, tum recentiora præsertim Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 26. alias 27. (*)

IX. Ceterum sicut vetitum non est fidelibus aliquid elemosynæ loco ministris offerre, ita ex altera parte licet ministris hujusmodi oblationes accipere: Concil. Lateran. III. Cap. XLII. de Simonia. At in hac oblatorum receptione, quævis vel tacita pactio vitanda est: id elucet potissimum, quum eadem promptitudine divitibus, ac pauperibus Sacramenta ministrentur: nam nulla, aut exigua ab istis, ab illis maxima, copiosaque speratur elemosyna. Hinc ead. Neap. Synod. *ibid.* ante collationem nihil Sacerdos exigat, post vero laudabilis consuetudo servetur, ita tamen, ut non exigatur per spiritualium subtractionem: (**) et præf. Synod. Hispal. Cap. XVII. decrevit, ut Sacerdotes, et Ministri Ecclesie nullum pactum, vel conventionem faciant pro Missis, exequiis, et divinis Officiis; sed... quod pro sustentatione Sacerdotum, qui celebrant talia Officia, servetur laudabilis consuetudo introducta a fidelibus circa elemosynam, quæ eis dari solet. (*)

X. Quod verò aliquando Parochi, congrua aliunde portione destituti, ex hujusmodi populi oblationibus vitam transigant; indecens visum non est sancire, vel taxare, quid Parocho in Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus conferendum sit. Mos iste, si minus in ceteris Sacramentis, in quibus haud levi populi offensionis foret, in Matrimonio tamen administrando potissimum invaluit. Neque enim oppido timendum est, ne ob jura solvi consueta, vel sancita, matrimonium differatur; neque hæc dilatio maximo semper est discrimini. Adhæc adnotat Espenius P. II. Tit. I. Cap. 3. n. 19. parochialia hujusmodi jura videri in locum decimarum personalium (quæ de jure communi debentur, et hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse, ut sicuti laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jura illa vel viventes, dum matrimonium ineunt, vel post mortem dum sepeliuntur. (**) Verum sicut non vetantur Parochi à jure vel consuetudine taxatas elemosynas accipere, ita omnem alioqui ambitionis notam à se ablegare debent, ne si in augendis oblationum modulis ingeniosi sint, cupiditati, vel superstitioni potius, quam Religionis favere videantur. Unde Synod. Trid. Sess. XXV. Decret. de invocat. et venerat. Sanct. constituit, quod in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu... omnis turpis questus eliminetur. Et Syn. Valent. Sess. IV. Tit. III. Cap. 8. alias 10. Sacri Tridentini Concilii decreto insistens præcipit sub excommunicationis pœna, ne in Templis, etiam Monasteriis Reliquie Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum ubi ad questum populo sint propositæ. Quod si aliqui etiam Regulares devotionis gratia eas ad infirmos detulerint, quod facere non debeant nisi vocati, nihil eis dare, neque ipsis ob id intuitu etiam elemosynæ aliquid recipere, sub eadem excommunicationis pœna non liceat. (*)

CAPUT TERTIUM.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO BAPTISMI.

I. (**) Sacramentum Baptismi, quod in originalis maculæ expiationem institutum est, primum et fundamentum omnium novæ Legis Sacramentorum cons-

tal esse, ut inquit Joannes Archiepisc. Tolet. in Syn. an. 1323. *Cap. XV.* (1). Jure antiquo ordinarius Baptismi Minister in primis habebatur Episcopus: unde Tertull. de Baptismo cap. 16. *Dandi Baptismi jus habet*, inquit, *Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Et quidem Episcopi plerunque per se ipsos baptismum conferebant: unde S. Hieron. in *Cap. 3. Sophoniæ* de Episcopis generatim scribit: *Dant baptismum, catechumenos erudiunt: (**)* et Martinus Braear. Epist. ad Bonif. P. apud Aguirre Tom. III. *Collect. Max.* de Baptismatis ministracione, quasi propria Episcoporum loquitur, quum ait: *Nam ut ego arbitror, qui hoc vobis voluit intimare, nunquam vidisse baptizantes Episcopos.* At non deerant casus, quibus integrum esset Presbyteris, atque etiam Diaconis baptizare, maximè quum non adesset Episcopus, qui catechumenum morti proximum baptizaret, uti colligitur ex Synod. Illiberit. *Can. LXXVII.* alioqui neque etiam Presbyteris fas erat, *præsente Antistite infantem tingere, aut signare:* Syn. Hispal. II. *Can. VII.* (*)

II. Porrò jure novo Parochi animarum cura cum jure administrandi Sacramenta semel ab Episcopo accepta, sicuti illam independentem ab Episcopo, et quasi jure proprio exercent, ita tanquam ordinarii ministri baptismum conferunt: ceteri verò Presbyteri, aut Diaconi extra casum necessitatis baptizare vetantur, nisi petita, et impetrata à Parocho, vel ab Episcopo facultate. Ad Diaconos quod spectat speciale quid sancitum reperitur à Gelasio P. *Can. XIII. Dist. 93.* scilicet, *ut absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus longius constitutis necessitas extrema compellat.* Unde inter Presbyterum, et Diaconum illud agnoscunt discriminis Canonistæ, quòd Presbytero possit pro lubito Parochus baptismi ministerium committere, Diacono verò non nisi ubi legitimè impeditus fuerit.

III. Necessitate urgente non modo Clerici inferiores, verùm et laici quicumque privatim, et sine cœremoniis baptizare possunt: Tertull. de Baptismo 17. Hieron. in *Dialogo contra Luciferianos.* (**). Syn. quidem Illiberit. *Can. XXXVIII.* decrevit *posse fidelem, qui lavacrum suum integrum* (hoc est balneum satis aptum ad baptizandum, non contractum) *habet, nec sit bigamus* (vel potius etsi sit bigamus) *baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* Quod quidem posterioribus sæculis semper obtinuit, et apertè docet Syn. Tolet. an. 1323. præf. *Cap. XV.* *Si partum contingat periclitari, poterit nedum obstetrix, vel quivis alius masculus, aut femina, sed et pater, et mater in aliqua patella, aut alio instrumento baptizare.* (*) Igitur ubi Clericus non adsit, qui semper in hoc ministerio laicis est præferendus, neque laici præ laico selectio fieri potest, à quocunque homine sive fidei, sive infidei baptismus licite recipi poterit. Unde Eugenius *Part. IV.* in Instructione pro Armenis disertè docet: *In casu necessitatis etiam Paganus baptizare potest.* (2) Porrò in quacunquē etiam extrema necessitate neminem posse seipsum baptizare respondit Innocentius III. *Cap. 4. de Baptismo,* quum inter baptizatum, et baptizantem debeat esse discretio. (3) Quòd verò infantes in mortis periculo constituti plerunque ab obstetricibus baptizentur: hinc *nulli femine licet sub pena excommunicationis obstetricis munus exercere, nisi a proprio Parocho ad baptismum in necessitate conferendum fuerit adprobata:*

(1) ¶ Fuit ergo institutum quando Christus in Jordane à Joanne baptizatus fuit. Div. Thom. in III part. q. 66, art. 2 in corp., et expressè habetur in leg. II, tit. IV, part. I. ¶

(2) ¶ Leg. V., tit. IV, part. I. Etiam pater suum filium, quin ex hoc aliquod impedimentum cum sua uxore contrahat. ¶

(3) ¶ Lex supra citata partit. ¶

II. Syn. Prov. Neap. *ibidem.* (**). Idcirco Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 4.* statuit *ne obstetrix ipsa, aut ullus alius infantem dum nascitur baptizare ausit, nisi urgens mortis periculum imminere viderit.* Quando vero infans ad Ecclesiam fuerit delatus, interroget Parochus, num baptizatus sit; quod si respondeatur baptizatum esse, requirat diligenter an debita forma, et modo fuerit baptizatus. *Ex quibus si certo colligat, infantem vere baptizatum fuisse, caveat ne Baptismum iteret. . . .* Quando vero non poterit certo colligere infantem baptizatum esse, ac proinde hasitaverit, num vere sit baptizatus, tunc sub conditione illum baptizet. Num Parochi diligenter inquirent, an puer verè baptizatus sit priusquam iteratam quamvis conditionalem Baptismi formam adserendam esse illi pronuntient, viderint secum ipsi; agitur enim de summa re. Synod. quoque Mediolan. V. Part. I. *Constit. Quæ ad Baptism.* mulieribus interdicit obstetricum munus absque Parochi adprobatione exercere. (*)

ARTICULUS II.

DE TEMPORE CONFERENDI BAPTISMATIS.

IV. Solemnia Baptismati conferendo in Ecclesia constituta tempora præcipua erant Pascha, et Pentecostes: Tertull. de Baptismo *Cap. 19.* Hieron. *Epist LXI. ad Pamachium cap. 16.* &c. Unde Hieron. ipse *Comm. in Zachar. cap. 14.* ejusdem Prophetæ vaticinium: *Exibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma. . . in atate, et hieme erit,* quod LXX. Interpretes legunt *in aestate, et vere* multos ad duo solemnia baptismi tempora applicare scribit. Porrò non deerant Ecclesiæ, præsertim in Oriente, in quibus etiam Epiphaniæ solemnitas baptismati conferendo addicta erat: Nazianz. *Orat. XI. de Baptismo.* Et in Ecclesia Hierosolymitana auctor est Sozomenus *Lib. II. cap. 26.* in Enceniis Ecclesiæ à Constantino M. super Christi sepulchrum ædificatæ dictæ *Anastasia* Baptismum conferri consuevisse. Quod verò in quibusdam per Hispanias, et Gallias Ecclesiis mos invaluerit, Baptismus etiam in festis (**). Nativitatis, et Adparitionis Domini, necnon (*) Apostolorum, et Martyrum diebus conferretur, hanc consuetudinem *improbabilem, et emendandam confusionem* appellat Siricius P. *Epist. ad Himerium Tarraconensem cap. 2.* Tum S. Leo Ep. ad Episcopos Siculos *irrationabilem novitatem* vocat quorundam per Siciliam Episcoporum *praxim,* qua in vigilia, et die Epiphaniæ Domini baptismum conferebant. (**). Quibus inherentes Patres Syn. Gerund. *Can. IV.* sanxerunt, *ut in Paschæ solemnitate, vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis, major celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniant, ceteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocunque tempore convenit Baptismum non negari.* Consonat Syn. Brae. II. *Can. IX.* et Tolet. XVII. *Can. II.* (*) Adeo certum est in Ecclesiis, præcipuè Occidentalibus, non nisi duo baptismati conferendo constituta fuisse tempora; nimirum Pascha, et Pentecosten: id quod ad VIII. usque sæculum obtinuisse constat ex *Ep. IV.* Gregorii II. Eandem hanc veterem consuetudinem renovare conatus est (**). Andreas Albalatus in *Constit. Synodal. an. 1255. Constit. de forma Baptismi,* his verbis: *In vigilia Paschæ, et Pentecostes, in qualibet Parochiali Ecclesia generalis Baptismus, si baptizandi fuerint pueri, celebretur;* dein S. Carolus Borrom. in Syn. Mediol. IV. *Part. II. Const. de Baptism.* (*) et Benedictus XIII. in Syn. Rom. *Tit. XXVI. cap. 1.* Tum Cereemoniale Episcoporum *Lib. II. cap. 27.* præscribit, ne per octo dies ante vigiliis Paschæ, et Pentecostes, nisi periculum immineat, infantes bap-

tizentur. Ac demùm Rituale Romanum de Baptismo Adulorum monet decere hujusmodi *Baptismum ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari.*

V. Jam verò in laudatis R. Pontificum Decretalibus à generali regula ii excipiuntur, qui in mortis, ægritudinis, vel naufragii periculo versantur: quum igitur infantum vita inopinatis casibus sit obnoxia, ut nulla de eorundem vita securitas haberi possit; hinc ex vetusta quoque Ecclesiastica consuetudine obtinuit, ut ipsis, quamprimum commode fieri possit, baptisma conferretur. Antiquitùs quidem, nisi aliud postulaverit necessitas, in proximo Paschatè, vel Pentecoste baptizabantur; uti colligere est ex Augustino *Sermone CLX.* et ex Ambrosio de mysterio Paschæ *Cap. 5.* at secutis temporibus satius visum est non diu pædobaptismum differri. Unde in II. Syn. Prov. Neap. *Tit. III. Cap. II.* parentes jubentur ultra octavum ab ortu diem infantis Baptismum non differre, gravissimis in Parochos sanctis pœnis, quorum negligentia quisquam sine baptismo decesserit.

ARTICULUS III.

BAPTISMUS NONNISI IN ECCLESIA CONFERENDUS.

VI. Antiquitùs in sola Cathedrali Ecclesia Baptismus solemniter administrabatur; in ea enim tantummodo amplum erat Baptisterium plerumque extra Ecclesiam constructum. Neapoli adhuc exstat propè veteris Cathedralis Ecclesiæ situm Ecclesia S. Joanni sacra amplum in medio habens baptisterium, ubi Neapolitani sacris aquis abluebantur. At multiplicato fidelium numero in principalioribus Ecclesiis, vel propè eas baptisteria ædificata sunt; quæ propterea Ecclesiæ baptismales dictæ sunt ad distinctionem Parochialium, quæ baptisterio carebant. uti mox observabimus *Tit. XI.* Porro secutis temporibus, uti Parochi Ordinarii baptismi ministri facti sunt, ita omnes passim erectæ Parochiæ baptisteria acceperunt, in quibus Parochiani solemniter baptizarentur, Ecclesiamque Parochialem, ceu Matrem, venerarentur. Quare Concilium Viennense *Clem. unic. de Baptismo* (quod secutæ sunt Provinc. Synod. Neap.) prohibuit, *ne quis in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, alios [nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu defferri, aut talis necessitas emerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi] audeat baptizare.* Idem præscribit I. Syn. Provinc. Mediol. *P. II. Const. 2.* (**) et Jo. ab Aragonia in Syn. Tarracon. in *Compilat. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXIV. Cap. 7.* Synod. Dertus. *Cap. VIII.* et Valent. an. 1565. *Session. II. Tit. II. Cap. 3.* cujus verba sine piaculo præterire non licet: *Præcipit Synodus, ne in privatis domibus, sed in Ecclesia tantum (Baptismus) conferatur; et ut omnis scandali tollatur occasio, etiam sub pena excommunicationis, et dimidii aurei jubet, ne aliquid in ejus collatione exigatur.* Id quod jam pridem interdixerat Synod. Illiberit. *Can. XLVIII.* (*)

ARTICULUS IV.

(**) DE BAPTISMI CONFERENDI RATIONE. (*)

(**) VII. Quum ipse Sacramentorum auctor Jesus Christus à Joanne in Jordane baptizari voluerit, ejusdemque fluminis aquis immersum omnes ut plurimum

fideles existimaverint, hinc generatim mos in Ecclesiam inductus est, ut Baptismus per immersionem conferretur; id quod apertè docet Tertull. *de Coron. Milit. Cap. 3.* et Auctor *de Cælest. Hierarch. Cap. 20.* Neque deerant aliquæ symboliæ rationes, quibus ducti Ecclesiæ Patres hujusmodi baptizandi ritum firmiter crediderint retinendum. Unde Syn. Tolet. IV. *Can. VI.* alias *V.* per immersionem Christi ad inferos descensum; per egressum Resurrectionem indicandam voluit. Verùm et in eo etiam baptizandi modo Sanctissimæ Trinitatis mysterium veluti præcipuum Religionis caput exprimere cupiens Ecclesia, trinam ad unumquemque baptizandum mersionem adhibuit. Ita Tertull. ubi supra, et Ambros. *de Sacrament. Lib. II. Cap. 7.* Hæreticis tamen, qui plures in Trinitate substantias commenti divinitatem partiri ausi sunt, ansam sibi ex hac trina mersione arripuisse persuasis, Catholicorum quidam una duntaxat mersione uti cœperunt; alii è converso tres adhibendas mersiones, uti omninò necessarias existimarunt. Inter hos pro trina mersione, quasi pro aris, et focis propugnat Martinus Bracaraensis. *in Epist. ad Bonifacium.* In hac Hispanorum Patrum controversia consulendum duxit Gregorium Mag. Leander Hispalensis, cui respondens *Epist. XXI. Lib. I.* totam rem in aperto producit: *Dum in tribus, ait, Personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere, quando et in tribus mersionibus Personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant, dumque quod faciiebant, faciunt, se morem nostrum vicisse gloriantur.* (*)

(**) VIII. At non ideo consopitæ sunt disceptationes; quocirca Syn. Tolet. IV. an. 633. post transcriptum totum ejusdem Gregorii Epistolæ caput quartum, præfato *Can. V.* ita sanxit. *Propter vitandum . . . schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur et morem.* Sed incasum; Synodum quidem Wormatiensem an. 772. *Can. V.* transcriptis à Syn. Tolet. IV. verbis, unam vel trinam permittere mersionem videtur fuisse coactam, decernens, *utrumque rectum esse, utrumque irreprehensibile.* Indè colligas necesse est sæculo VIII. adhuc concertationes de *Trina mersione* perdurasse, quod etiam evincitur ex Alcuino in *Epist. ad Frat. Lugd. LXIX.* apud *Quercit.* Et quidem Alcuinus ipse in præf. *Epist.* et in sequenti *de Baptisterio* nullum non movet lapidem, ut prorsus necessariam adstruat trinam Baptismatis mersionem, complures, sanè fuitiles, rationes adducens ex allegoriis à trino numero petitas; quinimmo non veretur adserere, dubitare se plurimum, an celebris illa Epistola de *Trina mersione* Gregorii sit, an verò ab aliquo unicæ mersionis *Secle auctore sub ejus nomine scripta,* eo quod eam in Codice S. Gregorii operum ex Roma sibi allato, non invenerit. Optima sanè ratio! Estne hic Codex tantæ auctoritatis, ut S. Isidoro, S. Leandri germano fratri, qui Concilio Toletano præfuit, ceterisque Hispaniarum Episcopis, qui eidem Concilio conveniant, et Concilii Wormatiensis Patribus, vel mendacii, vel oscitantæ notam inuramus? Minime. Tandem verò sedatis penitus Arianorum, et Priscilianistarum turbis, concertationes etiam de *Trina mersione* sensim desiere; at consuetud. mergendi baptizatos, diu retenta est in Hispania. (*)

(**) IX. Sæculo XIII. inducta videtur disciplina baptizandi per super-infusionem, utraque tamen invaluit, et super-infusio, et mersio, ut colligitur ex S. *Thoma III. Part. Q. LXXVI. art. 7. in Corp.* Hanc mersionem scilicet sæculo

XIV. Ecclesiam prorsus reliquisse putarunt nonnulli; verum in Hispania quamvis parvum inspiciamus lavacrum, quo S. Dominicus Calagurritanus baptizatus dicitur, quod non potuit esse nisi ad infusionis usum, mersionem tamen usitatam fuisse anno 1323. quo celebrata est præf. Syn. Tolet. apertè ostendit *Cap. XV.* Imò mersionis ritum præscripsit Card. de Mendoza in Constit. Syn. an. 1555. *Cap. XI.* quatuor tantummodo casibus exceptis. 1. *Quum baptizandus erit adultæ ætatis, sive vir, sive femina.* 2. *Quum infans ægrotaverit, de quo verosimiliter credi debet, quod si in aquam immergeretur manifestum damnum, ac jacturam pateretur.* 3. *Quum infans nequit ab utero matris exire, nisi solum caput, vel aliud ejus membrum, quo casu fieri debet Baptismus in illo membro per aspersionem.* 4. *Quum in casu necessitatis nequit haberi ea copia aquæ, ut sufficiat ad immersionem.* Adhuc tamen partim obtinebat immersio sæculo XVI. id quod evincitur ex Syn. Tarracon. an. 1556. in *Compilat. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXV. Cap. 2.* En verba: *Evitantes, quæ docente experientia solent in sumergendis infantibus in sacro fonte Baptismatis sæpius evenire, jubemus, infantes hujusmodi per Paternos, seu suscipientes eosdem teneri, et baptizandos cum aqua, proferendo verba decentia, per Curatos, seu eorum loca tenentes tantummodo tingi.* Atque indè eo ventum est, ut exoleta jam antiqua mergendi consuetudine in Ecclesia Occidentali, una excepta Mediolanensi, hæc sola tingendi, vel super-infundendi prorsus obtineat. (*)

(**) X. Si autem quæras, quo pacto baptizati olim fuerint ægri, qui in aquas sine vitæ periculo immitti non poterant, suspicamur fuisse per aspersionem, vel infusionem, uti discimus ex S. Cypriano *Epist. LXXVI. ad Magn.* et ex August. *Lib. VI. cont. Donat. Cap. 7.* idque docet Strabo de Rebus Ecclesiæ *Cap. 26.* (*)

ARTICULUS V.

(**) DE VERBIS QUIBUS BAPTISMUS PERFICITUR. (*)

(**) XI. Ad verba quod attinet ipse Dominus Jesus quum ad Evangelium adnuntiandum Apostolos misit indicavit verbis illis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* (1) Hinc ea Patrum mentibus firmiter insedit sententia, necessariam esse in Baptismo trium personarum invocationem. Unde Tertullianus de Baptismo *Cap. XIII. Lex tingendi imposita est, et forma præscripta: Ite docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* August. *Lib. VI. de Baptismo Cap. XXV. num. 47.* et Fulgentius de *Incarnat. Cap. XI.* qui recitatis verbis: *Docete omnes gentes,* subjicit: *Doctor, et largitor æternæ salutis hanc formam sacri Baptismatis dedit.* Consonat Vigilius P. in *Epist. ad Profutur. Bracar. Cap. VI.* apud Aguirre Tom. III. *Si quis Episcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti... projiciatur ab Ecclesia.* Hanc dein confirmarunt doctrinam Eugenius IV. in *Decret. pro Armen.* et Trident. *Sess. VII. Can. IV. de Baptismo.* (*)

ARTICULUS VI.

(**) DE PEDOBAPTISMO. (*)

(**) XII. In exordio nascentis Ecclesiæ Evangelium adnuntiantibus Apostolis, et Apostolicis viris, plurimi erant, qui ad Jesu Christi Fidem conversi, Baptis-

(1) Lex III, tit. IV, part. I.—Vide notam primam in hunc tractatum de rebus ecclesiasticis, ubi ratio reddenda de his legum civilium concordantiis cum merè spiritualibus.

um expetebant, quorum experiendo proposito constituti sunt catechismi, seu probationis anni. Hoc in causa est, cur plures tum adultos, cum infantes ad Baptismum accessisse videamus. At non ideò fides adhibenda est Salmasio, aliisque hujus furfuris hominibus contententibus, neminem quondam nisi ætate jam adulta baptizatum esse; Synodus quippe Illiberit. *Can. I.* non obscurè demonstrat, Ecclesiam baptizare jam tunc consuevisse adhuc non adultos, maximè quum in mortis discrimen inciderent. Expressiùs Syn. Gerund. an. 517. *Can. V. De parvulis vero, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, (ut assolet) fuerint, et lac maternum non appetunt etiam eadem die, qua nati sunt, (si oblati fuerint) baptizentur.* Parvulos etiam baptizari posse, Episcopi Africani in Sardinia exules, uti dogma Catholicum credere in *Epist. Synodica an. circiter 526. Cap. XI.* Id ipsum etiam firmiter tenuit Ecclesia secutis sæculis: Syn. Bracar. II. *Can. IX.* Gregorius M. *Epist. ad Leand. Hispal. Cap. IV.* Syn. Tolet. IV. *Can. VI.* alias V. Hispal. II. *Can. VII.* Tolet. an. 1323. præf. *Cap. XV.* Postremo Syn. Trident. *Sess. VII. de Baptismo Can. XII.* anathemate percellit eos, qui non nisi adultos baptizandos volunt. (*)

ARTICULUS VII.

DE CATECHUMENIS.

XIII. Catechumeni ii semper in Ecclesia audiere, qui per plures veluti Christiani tyrocini gradus ad baptismum disponebantur, ac præparabantur. Profecto verbum catechizare in Sacro novi Fœderis Codice haud semel *In primis Christianæ Religionis elementis instituere* significat: *I. ad Corinth. 14. et ad Galat. VI.* Unde Tertulliano de *Pœnitent. 6. Novitioli,* et Augustino de *Symb. ad Catech. 2. Tyrones Dei* dicti sunt; quod eam vitæ conditionem amplecterentur, quæ milites Dei, et vitæ æternæ candidatos ipsos efficeret.

XIV. Nemo ad Catechumenatum sine solemnium manuum impositione, ejusque comite oratione admitti consuevit: Conc. Illiberit. *Can. XXXIX.* et Arelat. I. *Can. VI.* Adjungi quoque consuevit Obsignatio adhibito Crucis signo. Unde Augustinus de *Peccator. meritis II. 26. Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositione pulo sanctificari.*

XV. Catechumeni vulgò in tres clases dispescuntur: scilicet in *Audientes, Genuflectentes, et Competentes, sive Electos.* Audientes ii dicebantur, quibus in Ecclesiam ingredi licebat ad Sermones, et Sacras Scripturas, quæ in priori Missæ parte recitabantur, audiendas. Verum antequam preces inchoarentur, è vestigio eos abire oportebat, Diacono ex excelsiore loco proclamante: *Nè quis audientium &c.* Constit. Apost. VIII. 5. Genuflectentes, sive Prostrati ii erant, qui in Ecclesia post Episcopi sermonem persistentes, manuum impositionem cum propriis quibusdam preceationibus in genua provoluti recipiebant: Const. Apost. *ibid. 6.* Conc. Nicæn. *Can. XIII. &c.* Tandem proximi Baptismo candidati Competentes, sive Electi nuncupabantur. Competentes, quod ab Episcopo publicè in Ecclesia baptismum peterent: (**) Isidorus *Lib. VIII. Origin. cap. 4.* (*) Electi verò, quod ab Episcopo peracta ipsorum examinatione, eligerentur, ut baptismum proximè futuris diebus festis acciperent. Undè ab Cyrill. Hieros. *Catech. I. et II. illuminandi,* et ab Auct. Constit. *baptizandi* dicuntur.

XVI. Methodus, quæ Catechumeni electi ad baptismum deducebantur, hæc potissimum erat. Adpropinquante Paschatis Festivitate primum nomina sua da-